

R M K III.

1303a

R M K. III.

1303/a.

RMK III. 1303/a.

(Tulajdonképpen csak hungarica. Csopán  
két példányt vészt az ország magyar.)

(Telj.)

Pol. g.  
295.

DISPUTATIO  
DE  
**TRIBUS REI**  
PUBLICÆ FORMIS,  
QVAM


*Auspice Deo Ter. Opt. Max.*  
In Inclÿta Argentoratensium Academiâ,

SUB PRÆSIDIO  
*Clarissimi & Excellentissimi Viri,*  
DN. M. MATTHIÆ BERNEGGERI,  
Historiar. ibid. Profefs.ordin.

*Publicè discutiendam proponit Author,*  
BLASIUS Schreiber Viennensis Austrius.  
Ad diem Maj in Auditorio maiori.  
*Xenophon.*



*Ἐπιπέριτες ἔργον, τὸ ἀρχαῖον.*



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS REPI, Anno

Quo

In aVstria, hVngaria & boheMia Dirè Certat Vr.

1620



NOBILI ET STRENVO VIRO,

Dn. LAZARO HENCKEL SENIO-  
ri à Donnerßmarck in Gſäl & Feſendorſſ / Sacrae  
Caeſ. Majeſt. à conſilijs: Senatori inclytæ  
Reip. Viennenf. primario, Mecœ-  
nati ſummo.

NEC NON

Viris Præſtantiffimis & Integerrimis

Dn. STEPHANO WIGSTERO, Aquæductuum  
præfecto Imperiali.

Dn. MARCO GIENGERO, civi & Mercatori pri-  
mario.

*Dominis, Affini, Curatoribus & promotoribus meis omni  
veneratione aeternum proſequendis,*

*Hanc ſtudiorum meorum abortum pri-  
mum de tribus Reip. formis, in mea  
recommendationem,*

*do, dico, dedico,*

Blasius Schreiber Vienn. Auſtr.  
Auth. & Reſp.



Disputatio

DE

TRIBUS REIP. FORMIS

*Tacit. 3. annal.*

Cunctas nationes & urbes, populus, aut  
primores, aut ſinguli regunt.

THESIS I.



*ST & imperantium & parentium  
ordo omnis Politia ſeu Reſp. Bodin. l. 1. de*

*Rep. duobus quæ cõnectitur vinculis, quorum alterum  
potestatis, alterum ſubiectionis. Kirchner. de Rep. diſp.  
2. th. 1. alios namque videmus ad imperium, alios ad obſequium na-  
tos, Bodin. dicto loco c. 5. num. 33. ex Ariſt. & vel ex Aſtrorum poſiturâ  
vel regionis cuiusque ſingularibus & propriis, quemadmodum pro-  
lixo catalogo & eleganti inductione hoc probat, Bodin. l. 5. c. 1. n.  
122. adhibe Senec. Scal. Liv. lib. 45. Euphorm. in Icon. anim. cap. 1. & 2.  
D. Chriſtoph. Beſold. in diſcurſ. philol. de natura populorum, nuperrimè  
edito. Naturâ enim Germani aliis ſunt liberiores, iisque nullû aliud  
imperium conducit ac ſalubre eſt; nec aliud expetunt, quàm quod ma-  
gis ad libertatem accedit, uti teſtatur Lipſ. in ſine monitionis ſuper Ec-  
cleſia chriſtiana concordia: reliquæ gentes quidem ſervitutem pati  
poſſunt, at germanorum propria eſt libertas. & Carolus V. Imp. di-  
cere ſolitus fuit, ſe in aliis regnis & ditionibus mancipiis & ſervis, at  
in Germania liberis & Regibus imperare; cum quo conſentire vider-  
tur: Gregor. Mag. ad Imperator. Phocam ſcribens: hoc intereſſe inter  
Reges gentium & Reip. Imperatores, quod illi ſunt ſervorum domini,  
Cæſares liberorum: hinc Primus è Maximilianus ſe non Aſinorum ut  
Gallus, non Diabolorum ut Britannus, non hominum ut Hispanus,  
ſed Regum Regem appellavit:*

*2. E contra verò nonnullarum gentium hæ ſunt inclinationes  
ut ferreâ regendæ virgâ, propter pravitatem, quæ ſerulæ cedere non*

vult. Huius generis sunt agrestes homines ac rustici in *Livonia* Nobilium ibi misera mancipia, qui diurnum laboris si pensum non solvant, aut Dominos suos irritant, vapulant miserrimè: hos cum *Polonia Rex Ssephanus* Anno 1582. vocari iussisset, eis que significasset, duræ se illorum misereri conditionis, velle idè eos à plagis & verberibus vindicare, & multam, si peccaverint, imponere mitissimam; Ei rustici antiquas se consuetudines mutari nolle, omniaque dura malle perpeti, responderunt, novitatem quàm introduci aliquam. *Jorenß Mülller* in *Septentrionalischen Histor.* fol. 32. sic *Persæ* flagris verberibusve Regis iussu cæsi, ei gratias agebant, propterea quod testatus hoc facto Rex esset, se eorum memoriam non deposuisse ut refert *Stobæus* ex *Nicolao Damasceno* & ex hoc *Brissonius* quæ servilis consuetudo à *Persis* translata in *Parthos*, *Schythas*, *Tartaros*, & in *Moscoviam* *Persæ* ab ortu conterminam; ubi uxores ægerimè ferunt, si à viris non aliquoties dedolèrur ac depalmentur, ex quo indicium amoris maritalis capiant. *L. Baro Sigismund.* ab *Herberstein* in suo itinèrario vide *Dn. Besold.* d. l. n. 14. & sequè.

3. Hinc est, quod duo ponantur membra unum eorum, qui præ sunt, alterum, qui subsunt. *Kirchner d. l.* pro quarum varia inter se compositione, dispositione, conformatione & temperamento, aliæ atque aliæ existunt *Rerump.* species: sicuti varia principiorum physicorum mixtura distinctas rerum naturas & formas producit. *Zach. Fridenreich* c. 29. *pol. p.* 178. At quoniam imperandi principium à publicâ potestate ducatur, ex hac competente Magistratui potestate subiectionis simul modus in subditis, & *Reip.* inde forma, qualis sit, noscatur. *Idem dicto loco.* Ita omnes omnium imperiorum & gubernationum status inspicientes nunq. ultra tres nec plures nec pauciores easque veras & directas species reperiemus. *Lips. lib. 2. c. 2.* scil. *Monarchiam,*

*Aristocratiam,* & *Democratiam,* quibus univèrsus politicorum chorus, unanimi consensus harmonia utitur, & accomodatè quidem, licet minus latinè.

4. Quæ tamen ad dichotomiam non inconvenienter referri possunt. Siquidem summa potestas seu Maiestas, (de qua hîc tantum sermo, à potestate ea, quæ totam *Rempub.* non complectitur, totius *Reipub.* æstimari natura nequit; ut totius hominis vita, & crasis non ex animæ vinculo iudicatur, quo cum brachijs aut pedibus, sed cum univèrso pariter corpore singulisque eiusque membris coniungitur. *Fridenreich* *ibid.*) est vel penes unum vel plures. ut ita rectè *Besold.* lib. 1. *pol. c.*

*pol. c. 1. §. 1. n. 2.* ab imperantium numero *Rerump.* distinctiones summat, cum ob conspicuitatem, tum quia earum gubernatio summæ est potestatis, quæ in personis requiescit, ergo quando personæ variant secundum numerum, *Remp.* quoque variari necesse est.

5. Illa efficit principatum, hæc Polyarchiam quæ vel optimatum & pauciorum, vel populi & omnium. *Vultei* lib. 1. *Iurisp. Rom. c. 12.* *Kirch. de Rep. 3. th. 7. P. Gregor. 5. de Rep. cap. 1. Bodin. 2. de Rep. c. 1. Aristo. 3. pol. c. 5. & 8. Eth. 10. Keckerm. lib. 1. Syst. pol. c. 1. p. 32. & lib. 2. c. 12. Dan. 1. pol. c. 6. Rosin. lib. 7. antiq. Rom. c. 1. lit. B. Herod. in Thalia. Senec. epist. 14. Iacob. Simanca. 2. de Rep. 3. Nicol. Cusan. lib. 3. de Chatol. concord. in præfat. Plato de Rep. 4. & 16. qui est de Regno. Cic. 2. de divinac. & 3. de Rep. citatus ab Augustino lib. 2. de Civit. Dei. c. 21. Dion. Halicarnass. lib. 2. Apuleius lib. un. de Philosoph. in fin. Hieron. Vnda de Reip. dignit. lib. 2. Franc. Patrit. 1. de Rep. Mynsing. ad §. SC. 5. Inst. de P. N. G. & civ. Zepper. 3. de LL. Mosai. c. 4. Lalius Zechius 1. de principe 4. Hippol. à collib. in principe cap. 1. Melch. Iunius part. 1. quæst. pol. 2. Shonb. 5. pol. c. 1.*

6. At quamvis prædictæ *Rerump.* formæ omnes omninò sint laudabiles & perfectæ. *Per. Gregor. Tholosa. libro 5. de Rep. cap. 3.* Quod enim est & esse per naturam potest, bonum est & laudabile *Kecker. disp. pract. 36. quæst. 1.* aliæ tamen alijs & videntur perfectiores & reverà sunt, diversà respectus consideratione.

7. Hinc ardua inter politicos agitur controversia: Vera his tribus è formis prævaleat & prædominetur reliquis: huic antequam certam subiungamus determinationem, prius est, ut cuiusque speciei naturæ rationes & fundamenta, unâ cum affinium & contrariorum enodatione, perpendamus.

8. MONARCHIA est status cujus summa univèrsus præest. *Paulus Busius lib. 2. de Rep. c. 4.* hæc varia sortitur nomina iuxta diversimodam eius administrationem, propria autem eius denominatio est & manet *Monarchia*, quæ nec parem nec superiorem inter homines agnoscit. Nam Imperatoris Regis, Cæsaris, Domini, Principis, Ducis & Iudicis nomen non semper *Monarchiam* exprimit. *Fridenreich* d. l. p. 198. Licet hi tanquam simulachra ad primam hanc speciem ut plurimum referantur.

9. In quibus ut distinctius procedamus, *Monarchiam* in Dominatū & principatū, cum acrioris & insignis iudicii politico *Paulo Busio* divi-

dimus, aut in omni scibili peritum Dm. Besold. d. l. §. 4. in Regalem seu dominicam secernentem, sequimur.

10. *Dominatus est status absolutus, in quo rei summa in populum eum, qui Dominatui paret, à libero dominantis arbitrio dependet.*

*Besold. d. l.* seu quando quis libertatis, fortunarumque omnium Dominus est, sibi que subiectis, ut patet fam. servis imperat. *Besold. §. 5.* nullique ordini optimatum aut populi ulla ratione astrictus est, sed suis absolute vivit legib. suo ex arbitratu, aliis in consilium non adhibitis, cuncta regit, gubernat, administrat,

11. Et quamvis *Clapmarius de Iure. publ. §. 6. testatur* plura gubernationis vocabula unum idemque antiquitus fuisse, & populo tantum Glaucoma obduxisse Romanos, tamè doctrinæ gratia & genuinos & improprius vocabulorum usus inuestigare studebimus: cum sæpiusculè & peritissimi authorum ea iuxta nummorum tenorem usurpent; quod si ullo in loco certè in prima hac Reip. specie occurrit.

12. Dicitur enim hic de quo loquimur Dominatus ab his 1. *Monarchia seu Dominatio absolutissima, ab aliis 2. Herile imperium 3. Regium 4. Bellicum 5. nimia potestas seu Dynastia 6. legitima Tyrannia.*

13. Et idè quidem *Monarchia absolutissima* sc. quæ nescia vis legum, liberissimo arbitrio & solutissimo placito sua tuetur, augere & propagare satagens.

14. *Herile 2.* vocatur *imperium*, quod non modo rerum, sed & personarum dominium trahit. *Besold. dict. l. numero 21.* & ii qui præ sunt Domini, cuius appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit *Augustus*, quod indicio esset, reliquos servos esse. *Sueton. c. 53. Guibert. Costanus Polyhist. c. 16.*

15. Item 3. *status* Regius quoties opponitur principatui. (aliàs verbum regnum seu Regium propriè si sumitur, bonam alere significationem in propatulo est, ob imperii autè Regii abusum *l. 2. de Orig. Iur.* in malù abire sensum cepit.) De tali Rege loquitur *Samuel c. 8. v. 16. & v. 5. iuncto 20.* Israelitæ petunt Regem similem Ethnicorù Imperatoribus. Si hoc nomine Regiù nomen alibi magnum, Romæ verò intolerandum, detestabile & exosum factum, quod etiam *Sueton. de Calig. c. 22. referens* probat: non multum ab fuisse, quin statim Diadema sumeret, speciem principatus in regni formam converteret; hinc *Giphan. ad prin. Inst. in verbo princeps Romanus ex Ammiano scribit:* Principes omnia legib. convenienter & nullo ex factu vel superbià agunt:

agunt: Reges verò cuncta suo ex arbitratu, & magnâ cum pompâ metiuntur. *vide Arnis. relectio. pol. lib. 2. c. 3. sectio. 12. & seqq.*

16. Aliàs in bonam si accipiatur partem Rex à regendo, regnando seu rectè, quasi secundum regulâ, agendo derivatur, & est plerunque nomen officii, rarè & minus propriè nomen generis, de finiturq; *ex Cicer. 2. de off. solus regnum aliquod jure possidens ac benè regens.* Et hoc sensu *Senec.* Regibus adscribit omnium potestatem singulis, proprietatem: Sub optimo Rege omnia Rex imperio possidet singuli dominio: Omnia sunt in Imperio cæsaris, in patrimonio propria.

17. *Bello* quoque talis Dominatus adsimilatur, ex eo, quod Duces & Imperatores bellici summo sæpè Iure, (summa injuria) strictissimâque lege absque omni exceptione suos erga milites utantur: quod vocatur, *Das Soldaten vnd Kriegsrecht.*

18. *Dynastia* seu potestatis vocabulum 5. etiam severitatem quandam introducere videtur: quo sensu sacræ literæ eo utuntur; omnem potestatem, sive quæ boni principis sive mali meretur nomen, à Deo esse constitutam, demonstrantes: Licet ut plurimum paternæ interserviat authoritati, in quâ tamen, si ius civ. vetus inspiciamus, quòd parentibus vitæ & necis in liberos concedit, atrocitatè aliquam reperimus. Et hoc non rarè abutuntur gnathones aulici Magnatibus. hoc ex potestatis plenitudine competere clamantes.

19. *Legitimam* quandoque *Tyrannidem 6.* vocant ad differentiam veræ & illegitimæ; quæ una est è contrariis speciebus: quamvis autem nulla Tyrannis sit legitima, tamen in comparatione ita nominamus hanc, eò quod notis veræ Tyrannidi non sit obnoxia, sed tantum libertate in imperando solitaria, magis quam par est, fruatur.

20. Huiusmodi hodiè Dominatus sunt, in *Europa Turcarum, Rehnatus de Lufinga, lib. 2. de incrementis Imperii, c. 2. & Moscovitarum, Alexander Guaguinus rerum polonicarum tomo 2. in descriptione Moscovia. In Asia Persarum, Aegypti & Tartarorum & etiam num Hispani dominatum in Asia, Africa, America & Peruana exercent, quod probat Arnis c. 9. lib. 1. p. 244.*

21. Talis Dominationis reliquias in feudis adhuc vigere, Idem notat *d. l. & ex eo Besold. p. 207.* rusticos addens, qui dominis ad quotidianas operas sunt obligati, welche saalgütter oder schlupffleben besitzten. Nec non in Westph. multorù, quos *leibeigene knecht* vocant, hæc est conditio dura, ut si subditi recipiantur, statim etiam fiant proprii homines. *Winter/ part. 2. in ahes. c. 3. n. 9.*

22. Altera species est *Monarchia regalis sive Prin-*

*principatus, cui unus cum ordine senatorio iure suo praest Reip. summa solus & perpetuo.*

*Busius d. l. seu secundum Lips. 2. pol. 3. est unius imperium morib. aut legibus delatum, susceptum gestumque parentium bono.*

Hac definitione veram Monarchiam seu Monocratiam complectimur, ita ut etiam summa quatuor imperia huc referri non sit difficile, nec quicquam interest maiestati que Monarchicæ detrahit, quando ea ordini optimatum seu senatus rationique legum in summâ rei sit astricta, dummodo & dignitate & potestate sit maior, siquidem nulla unquam vel fuit vel erit vera Monarchia, quæ se legibus aliorumque consiliis subiicere erubuerit, cum potius nihil tam proprium principatus, quam secundum leges vitam degere l. 3. C. de testem. tantæque maiestati decet, eas servare leges quibus ipse solutus esse videtur l. ex imperfecto 23. de leg. 1. 3. & 6.

23. Ethoc Imp. Severus & Antoninus in §. ult. Institut. quibus modis testam. infirm. comprobant dicentes: Licet legibus soluti simus, tamen legib. vivimus, nec non Theo. in l. 4. C. de ll. digna vox est maiestati regnantis legibus allegatum se principem profiteri. Adeo de autoritate Iur. nostra pendet autoritas, & revera majus imperio est, submittere legib. principatum, & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur aliis indicamus. Est igitur princeps ll. non solutus, sed potius videtur l. 27. de legat. 3. sc. quod vis & efficacia legum ipsi nocere non possit, virtuti autem eius adscribendum est, ut inquit Bald. ad l. 8. de ll. quando plus Iustitia quam licentia apud eum valet, Symmachus ad Imp. in oratione pro veteri Deorum cultu:

*Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum,*

*Aut regale puto, quam legis iure solutum,*

*Sponte tamen legi sese supponere Regem.*

*Guth. in ligurino lib. 8. de reb. gest. Frid. & legum ideo servi sumus, ut liberi esse possimus. Quis enim liberè vivit, nisi is qui recta sequitur, qui gaudet officio, qui legibus parat, non propter metum, sed ea sequitur ac colit, quia id salutare maximè iudicat. Cic. 5. paradox.*

24. Sic laudantur apud *Vtapienses Syphogranti* i. e. magistratus (quanquam ll. eos labore soluerunt) ipsi tamen sese non eximunt, quo facilius exemplo suo reliquos ad labores invitent. *Thomas Morus Vtrop. lib. 2. p. 149. Traianus Imp. sponte se legibus submitit, præfectum præterio ense accingens, hunc si iustè administravero, pro me; sin ve-*

ro malè, cõtra me usurpato: verù hoc exẽplũ, nisi de manifesta Tyrani- de locutus fuerit Traianus, vix est ut admittam, siquidem coercionẽ aliquam & imperium civile continet, à quo Princeps (de quo loquimur) alienus est, quod probat *Imp. in Nov. 22. c. 2.* dicens neminem tantæ esse potestatis, ut Principem nolentem cogere possit, & *Proph. Dav. Psal. 51. ex eo Owen. lib. 3. Epigram. 51.*

*Subditus in legem peccat, Regemque Deumque:*

*Rex peccat soli (rex quia nempe) DEO.*

Quos explicat *Ambros. in Apol. David c. 10. his verbis* Rex utique erat David, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis, neque ullis ad pœnã vocantur legibus, tuti imperii potestate, sed quavis tuti imperio, devotione tamen & fide erat DEO subditus, & legi eius subiectum se agnoscens, peccatum negare non poterat. *Sic Bodin. nec singulis civibus, nec universis fas est, summi Principis vitam, famam aut fortunam in discrimen vocare seu vi, seu iudicio constituto id fiat. 2. de Rep. c. 5. Adde Alberic. Gentil. de Iure Belli lib. 1. cap. 16.*

25. *Vt inderecẽtè Horat. lib. 3. Od. 1.*

*Reges in ipsos imperium est Iovis.*

& *Marcus Antonius Xiph.* Principis solus Deus iudex esse potest. Ergò consideratur vel ut animal, & est subiectus legib. naturæ, vel ut homo, & ita legibus gentium: vel ut princeps, ita eximitur legibus civilibus, à quibus ipsum populus liberavit. A naturæ v. & gentium seculus, nisi quo ad vim coactivam, ut quibus & ipse populus subiectus est. *Nam leges bifariam considerantur, vel ut obiectum & regula iustitiae, & sic Princeps ijs tenetur, non minus ut ipsi virtuti, ut pote, cum omnis homo per naturæ imbecillitatem & corruptionem indigeat normis à quibus regatur: aut sunt media & instrumenta subserviẽtia maiestati ad regendam Remp. & sic iis solutus. Keck. in pol. lib. 1.*

26. Hoc sensu *Imp. in Nov. 105. c. 2. §. fin. dicit,* Deus Imperatori & ipsas leges subiecit, legem animatam eum mittens hominibus, subiecit Principi non tantùm civiles, sed & suas & naturæ leges. *Bõrtius in discurs. Acade. Arum. 8. §. 25.* quas tamen omnes tenetur servare, non quidem ut leges, sed ut rationes, *Andr. Ifern. in pral feud. quest. 2. n. 36.* hinc aliud est solutum esse legib. aliud haud tamen contrarium sed diversum ll. vivere: aliud legibus solutum esse & adversum legibus obligari, hoc est imperii, illud obsequii. *Bornit. de Iur. maiest.*

27. Nec sequitur, Principi convenit secundum leges vivere, ergo iisdem obligatur, quia obligatio legis non tam oritur ex ratione

quam sanctione, l. 1. §. 2. de ll. ex iussu & præcepto l. 52. §. 5. de obl. & act. Neque hoc ritè concluditur, Princeps ll. solutam habet potestatem, ergo licentiam effrenem habet, quicquid lubitum agendi, cum potius *Claud. audiendus,*

*Non tibi quid licet, sed quid fecisse decebit,  
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.*

In summa principis boni potestas ll. est soluta, h. e. ab omni coercionem civili immunis, sive sit lex divina, sive humana, exceptis fundamentalibus, quibus sublatis status & salus Reip. corrueat & aut in Dominatum, aut planè in Tyrannidem cõmutabitur; siquidem tritum aliàs, nullam gentem tam barbaram esse, quæ nõ Principem suũ certis allegaret legibus. *vide de hac quest. Cl. Dominum presidem in dodecade 2. Germ. Tacit. quest. 1. ubi ex his verbis c. 2. nec Regibus infinita aut libera potestas: quæst. movet, cum quibus eiusdem Tac. verba c. 24. in Germ. conciliare ex iam dictis facilè est, quæ sic sonant. Vnus imperitat nullis iam exceptionibus. Adhibe I C. & politicos passim, quorum rixis & disp. nobilitata hæc quæstio est, ita ut veteri verbo dicam, quot capita, tot esse sententias.*

28. Ad demonstrandam autem Monarchiæ naturam, argumenta eius primatum declarantia subiiciemus: Et primò quidem est status omnium simplicissimus, ad naturalem tendens unitatem, eiusque inclinationi quam maximè conformis est; bestia etenim, quæ aliquod vestigium regiminis habent, unum Principem & Ducem sequuntur, ut *Apes, Plin. lib. 11. natu. Hist. c. 17. & grues Aristoteles 1. de Hist. animal. c. 1. Freig; in Ornith. p. 92. in gregibus Dux unus & in Armentis Rector unus. Ciprianus in tract. de Idolo. vanitate. In bello Imp. unus, unus nauta, unus Antistes in Monasteriis, in Ecclesia unus Episcopus, in Oeconomia unum caput, paterfam. in homine una anima rationalis, corpori & animæ vegetandi ac sentienti Monarchicè imperans; Et quemadmodum in cœlo solem unum, non plures esse expedit; ita & unum Imperii corpus, unius animo regendum videtur. *Tacit. 1. anal. quod Lydij objecerunt Cræso, fratrem confortè imperii adsument. Stobæus ex Serino Serm. quod opt. sit Monarchi. Et Alexand. Darij legatis respondit, mundum à duobus solibus regi non posse. Curtius lib. 4. cum periculum sit, ut incendio omnia perdantur Serin.**

29. Imò Monarchicus status, imago est eius imperij, quod Deus in creaturis exercet, & per hunc modum Resp. Deo similior evadit, quia  
maxi-

maximè unus est; Deia. similitudine, quo ad natura recipit, tum singuli, tum universi felices redduntur. Ad hoc bonum & unum ita inter se apta & connexa sunt, ut boni ratio unius rationem consequatur *Keck. in cursu philos.*

30. Secundò est omnium firmissimus & maxime diuturnus: quia unus est & ordinatus, quicquid enim Resp. simplicitatis, quicquid in gubernando facilitatis, quicquid denique diuturnitatis & formitudinis habet, id totum unitatis ratione & beneficio obtinet: quæ quò est naturæ prior, eò illa omnia expeditius in Remp. emanant. *Kecker. in cursu philos.*

31. Tertio facilius assequitur finem, facilior gubernatio, sive spectes inventionem consiliorum, sive eorundem executionem; atq; adeò si spectes legum vel promulgationem vel executionem. *Keck. lib. 1. pol. rarius enim unus, secum multi dissident, Cas. lib. 3. Sphæ. civit. c. 7. plures gubernatores, licet arcem noverint, tamen sibi invicem sunt impedimento: Bodin. lib. 6. c. 4. de Rep. utiliusque igitur subditis per unum regi quàm per plures. Curt. c. 4. ex quib. causis Feud. amittit. n. 132. per l. 2. §. rariss. D. de orig. Iur. c. in apibus 7. quest. 1. propter discordias, quas inter plures præsidentes possunt oriri ratione communionis. l. cum pater D. delegat. 2. hinc sapientes turbata Rep. ad hanc regendi rationem, veluti ad sacram anchoram confugerunt. Tolos. lib. 13. de Rep. c. 12. nu. 17. siquidem regnum res inter Deos hominesque pulcherrima. Liv. 26. optimusque civitatis status sub rege iusto. Senec. lib. 2. de benefi. hinc pacis interest omnem potestatem ad unum conferri, Tacit. 1. Hist. neque aliud quandoque discordantis patriæ remedium fuit, quam si ab uno regeretur. Tacit. 1. anal. cuius rei illustre exemplum est in Romanis, qui in difficillimis quibusque negotiis dictatorem quæsierunt, qui summum imperii Ius haberet & potestatem plane regiam, Hyppol. à collib. in Princ. c. 8. ut ita totum imperii corpus perturbatum, quod haud dubiè aliter coire & consentire potuisset, unius nutu, quasi anima & mente regeretur, Florus lib. 4. c. 3. subditorumque impetus facilius refrenarentur vide Otto. in Iur. publ. c. 3. p. 67. Schonb. 2 pol. Keck. in curs. philos.*

32. Hinc est, quòd Monarchiam magnificiunt plurimi, imò ferè omnes politicorum, cum Imperium in homine potentius & terroris pariter & amoris plenius, quàm quòd in plenitudine conspicitur *Alt. c. 39. n. 30. faciliusque multò virtus ad officium regentis necessaria*

in uno clarior existere potest, quàm eadem in pluribus. Nam si ex metallis, plantis & aliis rebus, unum alterum dignitate vincit, cur nõ & homo hominem? qui eiusmodi reb. multis longè præstantior est. l. 44. D. de adilit. edi. Matth. Steph. de Nob. Hippol. à coll. eadem in materia th. 1.

33 Taceo antiquitatem, siquidem omnes gentes antiquæ Regib. primum paruerunt. Cic. 3. de ll. principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges erat. Inst. lib. 1. idq; in terris nomen imperii primum fuit. Salust. in Catilina. vide Hippol. d. c. 1. & Schonb. nec hoc mirum cum ex naturæ profectum sit iure. Plat. Dialog. 3. Zech. de Princ. l. 1. c. 1. Bodin. de Rep. n. 214. Lips. l. 2. & hæc videntur præcipua principatus fundamenta: plura qui scire lubet, politicos adeat, & ex iis præcipuè Clapmar. eius arcana detegentem.

34. Hic quaeritur: An Duum viratus seu Dyarchia ad primam hęc Reip. speciem sit referenda? ubi respondentem producimus kirchnerũ disp. 4. th. 1. quodd vel à centum, vel etiam à pluribus Aristocraticè unum imperium, ne dum à tribus gubernari potest; pluralitas siquidè gubernatorum non facit pluralitatem imperiorum: quemadmodum enim viginti octo regna, etsi ab uno Carolo, administrarentur, non erant ob id unum regnum: multò minus diversa unius imperii regna, quamvis à diversis Regib. gubernentur, diversa Imperia constituunt. At nec duo regna, sed unũ est dicendum, quodd æquali potestate & iure nuptiarum per pacta Rex & Regina unã moderantur. Nec tãm Dyarchia quàm Monarchia coniugum pari maiestate regnantium gubernatio appellanda. In illis enim unitas tum corporum, tum animorum, ne dum potestatis perpetuò intelligitur, §. nuptia. Instit. de pat. potest. Kirchnerus. d. l. lit. C. sic Imp. collegas sapius sibi adsciverunt, de quibus vide Otto. in Iur. pub. p. 67. Kecker. in pol. lib. 2. c. 2. & alios.

35 Quemadmodum rubigo infestat ferrum, ita quamlibet Remp. vitium suum. Ergo tractandum iam est de Tyrannide vera, tanquam de contratio Principatus, illo enim existente, hic tollitur planè; quod Mor. de opt. Reip. stat. p. 13. indicat: Principis Magistratus per petuus in omnem illius vitam, nisi Tyrannidis affectatæ suspicio impediatur. Dixi de contrario. Nam illis assentiri non possumus, qui ταραχὴ βασιλευς ἢ διαρπὰς, digressiones & aberrationes, siue vitiositates Rerump. eiusdem species esse contendunt. Cum species debeant esse contradistinctæ & Resp. ab eius accidentibus sit seiungenda. Christi: Matth. Dismars. colleg. pol. 1. disp. 6. à princ.

36. Estigitur Tyrannis publica vis siue injuria illata, legibus & subditis à Tyranno.

Kecker. lib. 1. pol. c. 28. seu violentum unius imperium præter mores & leges, Lips. 6. pol. c. 5. cumque unus iniuste & præter sanctatum legum præscriptum imperat. Dan. lib. 1. pol. c. 6. imò Tyrannus diaboli imago. Dambud. prax. crim. c. 28. n. 63. hinc rectè Seneca de clementia. Reges consensescere, liberisque & nepotibus tradere regna: Tyrannorum vero execrabilem & brevem esse potestatem: quorum prolixum collegit catalogum Cassan. in Catalog. gloria mund. part. 3. consider. 1. & ex eo Schonb. lib. 2. c. 37. plura de Tyrannide tractantem vide Kecker. d. l. & in parte altera syst. log. Vindicias Iuni Bruti. Althus. Horro. Dan. & alios infinitos, quos etiam in quaest. de eius resistantia consule: siquidem nos intricatissimæ & difficilissimæ illius quaestionis decisionem, hoc loco brevitati studentes cum Valentin. Forst. lib. 2. de Iurisdic. Roma. secti. 6. subdubitante, in medio relinquimus.

37 Actum de Monarchia: Polyarchia sequitur, quæ vel paucorum vel omnium. Paucorum dicitur Aristocrata, quæ est quando coniunctim & individue pars civium minor seu aliquot excellentiores, in singulos & universos imperium & maiestatis jus exercet. Hoc maiestatis jus, si summum est, erit vera è supremis Reip. speciebus una; si verò pendet ab alio subalternam rectè dicunt Politici Remp. Considerantur autem Optimates ita, ut etiam si præside uno, tanquam principaliori, nihilominus faciant Aristocratiam, cuius rei exemplum illustre nobis monstrat Resp. Veneta, in qua licet Princeps dignitate reliquos antecellere videatur, potestate tamen eadè cum iis fruitur: Natura enim huius maiestatis requirit, ut quilibet socius huius imperii summi in omnes subditos singulatim vel singulos subiectos, id exercere possit; at in omnes collectim, vel in universos subditos solus unus, sine socio non possit. Alth. c. 39. pol. n. 33. adhibe etiam Bodin. lib. 2. c. 6. de Rep.

38. Et hæc Resp. primas sibi competere militat 1. ab Etymologia



liquidem *Ætios. i. e.* Optimi hanc administrant, quorum bonitas & nobilitas, secundum cuiusq; regni instituta & mores iudicatur. *Bodin. lib. 3. c. 8.* dum alibi generis antiquitas & splendor, alibi opum fulgor, alibi militaris fortitudinis gloria, alibi sapientiæ & iustitiæ ratio attenditur. Omnium a. consensu ea nobilitas optimatum optima, quæ virtutis commendationi & dignitati tam avitæ quàm propriæ innititur. *Sinnibald. de Nobil. Tirag. de Nobil. c. 3. Arist. 1. Rhet. c. 15.*

39. II. *A mediocritate*, quam inter Monarchiam & Democratiam præ se fert, optimum enim illud, medietati magis quod accedit. III. *A Necessitate*, quàm vitæ nostræ & seculi conditio exigat, eod quod ex Adami lapsu naturam de pravatâ affectibusq; patentem agnoscere debemus totam, hæc a. cum facilius mentem perreptare possit unius, quàm plurium, Aristocratia pro primo sessionis loco disputat, utilitatem, facilitatem & usum eximium suis addens fundaminibus. Quorû dilatacionem vide apud *Matth. Sutliv. lib. 1. de pontif. Roman. c. 2. & 3. Herod. in orat. Otton. 3. Kecker. lib. 2. c. 2. & alios passim, omnino a. Besold. lib. 1. pol. c. 9. §. 5. n. 23. p. 328.*

40. In hoc statu consilium plurium imperantium notandum, ita ut quod maiori parti placuerit, sit sequendum, & exequendum necessario, ne alioquin status polyarchiæ corrumpatur. *Pacian. lib. 2. c. 36. n. 51. de probat.* Huc pertinet illa quæstio: *An vota sint ponderanda an numeranda?* de qua in specie quoad comitia vide *Otton. in dissert. de iure publ. c. 3. p. 499.* Hinc non est liberum arbitrium administratorum in consiliis retractandis & mutandis, sed necessitas parendi. *P. Greg. Tholos lib. 24. c. ult. & lib. 22. c. 2. de rep.*

41. *Hujus status morbus sive mors fit, quando nempe pauci ex plurium Optimatum numero cæteris consortibus & collegis exclusis, invadunt Imperium, & pro sua cupiditate leges inflectunt, & ad reliquam multitudinem opprimendam conspirant, Quod Roma factum fuit, quando Triumviratum constituerunt Caesar, Pompeius, & Crassus. & dicitur eiusmodi conversio Oligarchia, ubi paucorum affectus, non ratio, non lex, non iustitia, non æquitas: sed impetus regnat. Casus 4. sphaera civit. c. 5, ubi pauci dominicè imperant, & ad privatam suam utilita-*

utilitatem Remp. administrant; non aliter ac Tyrannus in Monarchia.

42. Interdum tamen *Oligarchia bona & legitima Reip. formæ censetur*, quando sumit & præsumit bonos, ex divitibus & nobilibus quos sumit: quotiescunq; eundem cū Aristocratia habet finem: salutem scilicet publicam; toties aberrans Resp. non est. Non enim est absurdum (etsi quoad electionem nobilitas & divitiæ respiciantur,) in nobilibus & ditioribus animi dotes & regnandi vires præpollere. *Adde Kecker. disp. 36. pract. q. 6. & Bodin. 2. de Rep. c. n. 219.* dicentem: Nihil commodius fieri posse, si optimi cives nequeant haberi, quam ut imperiū locupletioribus committatur, siquidem illorum pecunia & bona obfidis & pignoris sunt loco, non fucati in patriam amoris.

43. III. *Democratia est status Reip. quando populi sive civium vel universorum vel magna partis nomine, quidam alternatim cæteris omnibus singulis & universis imperant & secundum populi suffragia iura maiestatis & summam maiestatem usurpant.* *Kecker. lib. 2. c. 3.* seu est status, in quo totus populus iura maiestatis possidet: estque omnium liberrimus & acceptissimus, ut pote in quo cives quasi in se ipsos imperiū habent, quod latè demonstrat *Gryph. in disp. de democrat. qua habetur in tomo 3. Iur. publ. Francof. Kecker. Althus. Shonb. Kirchner. Danaus. Besold. d. 1. p. 322. & seqq.*

44. Non autem ita intelligendum est, quasi omnes in Senatū & consilium admitterentur, siquidem illa multitudo nil nisi confusionē pareret & veram Democratiam in Ochlocratiam commutaret, quā non amplius populus vult deputare certos, qui Magistratum gerant, sed omnes simul volunt regere, nemine parente. *Da heri omnes meinet er sey herz weil derselben sein destomehr. Kecker.*

45. Hinc duas Democratia species quidam assignant: *Democratiam scilicet liberam & adstrictam. In libera, cōsultationes & iudicia multitudinē*

titudini sunt attributa: & omnes secundū numerū censentur, & nō secundū qualitātē vel generis, vel virtutis vel divitiarū ibiq; Magistratus nō tā utilitati cōmuni, quā multitudini placere student. *Tholos. s. de rep. c. 2.* & hæc calius dicitur *Oblocratia* seu *Democratia* verā *παρὲν βασις*

46. Altera *adstricta* quæ vocatur, est, quando non populus omnis, sed quidam alternatim imperitent: ita tamen ut honorum æqualitas & libertas sit, quæ consistit in eo, ut populares per vices imperent, & pareant, & sit isonomia, seu iuris æquabilitas & vicissitudo vitæ privatæ & honoratæ, ut omnes singulis imperent. *Alth. c. 39. pol. n. 6.* (quem omninō vide multa in *Democratia* præ eminentiam dicentem) sintque vices parendi & imperandi. *Dan. lib. 6. pol. c. 5.* & huius speciei exemplari possunt varia.

47. In hac *Democratia* quatuor notanda monet *Bellarm. lib. 1. de Pontif. Rom. c. 6. 1.* ut Magistratus ab illo populo constituatur, atq; ab eodem authoritatem sumat. 2. ut à sententia Magistratus, in rebus gravioribus, ad iudicium populi appelletur. 3. ut leges quib. Resp. est gubernanda à Magistratu quidem proponantur, sed à populo iubeantur. 4. ut Magistratus apud populum accusari possit: vel etiam morte mulctari, si ita populo ex æquo videatur. Plures leges *Democratice* statui utiles vide apud *Althuf. d. l. n. 84. ex Arist. Thol. & Bodino.*

48. Et hæc posteriores species καὶ ἐξοχὴν dicuntur *Respublica* Potissimum autem *Democratia*, quod in ea omnia maximè publica i. e. populica, seu communia existant: universiq; cives, æquā inter se ratione Ius publ. sint partiti: In quibus maxime notanda hæc cautio, ne cives aut ex iis deputati patiantur quempiam ultra modum in potentia crescere, ita ut ipsius à nutu cuncta dependere videantur, isque solus Principis licet non titulum, tamen potestatem representet: hoc enim tam adversum est statibus huiusmodi quàm in unius conditionis hominibus quærere prærogativam: imò utile erit tales esse leges, quibus potestas polyarchica muniatur contra eos, qui *Monarchicam* quandam potestatem in ea usurpant. *Althu. c. 39. n. 42.* Hic si attendatur, quid veteres de *Ostracismo* statuerint, vix est, ut nō probè.

49. *Secunda quoque observatio* tanq. utilissima non est omitenda: quā benè constitutæ Resp. hanc introduxerunt legem (ut propinqui & agnati teneantur exire, sedemque vacuam relinquere, quoties casus pro amico decidendus occurreret, quod minus Iustitia sensu principaliori oculorum scil: usu privetur: E contra vero introducendum eodem esset iure, ut etiam odio tumidi, & invidia turgidi, ab iis

se prius

se prius in aperto aere liberet, anteq. decreta, quæ affectuū essent mancipia, promulgarent: Id quod eleganti monumēto sibi imitandū semper ante oculos posuit *Respublica Ratispon.* prout meminit *Chytræus in delitiis Itinerum Europæ p. 34.* Ibi in curia aureis literis hæc reperitur inscriptio:

*Quisquis senator curiam officij causa ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus abijcito: iram, vim, odium, amicitiam adulationem. Reip. personam & curam subijcito. Nam ut aliis æquus & iniquus fueris, ita quoq; Dei iudiciū expectabis & sustinebis.* hanc inscriptionem etiam citat *Schonb.* Nec sufficit amoris sustulisse damnum, nisi & odij extirpetur pestis, & funditus eradicetur omnis invidia. Plures sunt præter hos præcipuos canones, quos hic disputationis recensere natura, quæ brevitati studet, prohibet.

50. Consideravimus omnes Reip. formas unā cum contrarijs, seu digressionibus: si autem nullus horum subsistere videatur, *Anarchia incendium crescit: cum nec imperat nec paret quispiā, interitusq; Reip. nō conversio fit, cui suffragatur.* *Cicer.* cum populus omnis imperat maxima est tyrannis, & tunc non tam vitiosa est Resp. quàm nulla: Imò *Anarchia* dicitur, ubi planè Resp. destituitur Principe sive capite, atque adeo ubi nullum est regimen sed quilibet vivit pro suo arbitrio. *Kec Ker. lib. 1. pol. c. 28. p. m. 421.* & omnis ordo parentium & imperantium est sublatus, quæque omni tyrannide omniq; corrupto Civitatis statu deterior est. *Dana 1. pol. c. ult.* Et eā nihil periculosius; *Plato lib. 1. de legib. Hujus mala infinita vide apud Dana lib. 1. pol. p. 58. in aphorism.*

51. Has Reip. formas omnes & singulas unā eum aberrationibus expertus est populus Romanus. Nam *Remp. Rom.* primò Reges tenuerunt: tum tyranni, quibus pulsus, factio optimatum invasit: quæ cum superbire inciperet, contemptaq; eā, quæ inter cives esse solet, æqualitate & potentia proportione luxu se dederat, plebem eò deduxit, ut non ante seditionib. in urbe agitandis conquieverit, quàm & ipsa in partem Magistratum totius Reip. venerit. sed cum & hic ni-

C

nia licentia tranquillitatem corrumpet, Magistratusq; contemneretur, & quisque prolibitu viveret, ad principatus formam rediit. *Hy-poll. à Collib. in principe. c. 1. p. 4. ex Polyb. l. 6. clarus Rosin. l. 7. antiq. Rom. c. 1. lit. t. & seqq. & ex eo Clarissimus Dominus Præceptor Cluren. in syllog. 8. 1. I. Monarchiam à principio urbis 7. scil. Regibus quæ sub Tarquinio versa in Tyrannidem 2. Aristocratiam expulsis Regib. sub senatu quæ versa est in Oligarchiam 3. Democratiam, quæ versa in Ochlocratiam. Post hanc, ab anno U. 376. impeditis per totum quinquennium, Liv. (velut alii 4.) Magistratum curuli comitiis & à Tribus plebis Rep. administrata, fuit Anarchia, quam excepit Monarchia.*

52. Ex his facile colligitur, quam obnoxia mutationibus & conversionibus sint dictæ formæ, ut una in aliam sæpius commutetur, quarum, quæ ijs magis patet, jure suo reliquas sequitur.

53. Cum autem in reb. humanis nihil sincerum, omnia ferè mixta sint, *Scherb. in pol.* hic quærimus: anteq. ad definitam Rerump. inter se comparationem perveniamus; num detur Reip. status mixtus? quod multi negant, in primis autem *Otto in disp. singul. hac de quest. Iena habitata. Bodin. 2. de Rep. 1. Hoc non disp. pol. 9. 8. 2. Melander in Idea studii politici. pag. 73. Timpl. 9. pol. c. 2. quest. 7 Zach. Svidenreich, c. 18. pol. & 29. Tolos. 5. de Rep. 1. Bornit. de maiesta. cap. 11. & 13. Idem in part. pol. lib. 1. p. 64. & de prud. pol. compar. Gryph. in disp. de statu imp. Rom. germ. 8. 9. Hyppol. à collib. in principe c. 1. p. 5. inquit. Nullam Remp. ex duobus pluribusve generibus conflare reperimus. Species enim & formæ rerum non miscentur naturâ; si fit cogitatione, quod inde proyenit monstrum est: cujus generis centauri sunt & chimæ.*

54. Verum reliqui politici omnes constanter mixtum dari statum asseverant, ita ut omnem fermè Remp. mixtam pronunciare laborent: Et ex eo potissimum *Besold. 1. pol. c. 8.* qui refutandum sibi sumpsit Ottonem, *Lips. 2. pol.* sua sententia omnibus præscribere videtur inquit: miscentur inter se fateor, & remittuntur, aut intenduntur, sed sic, ut propendeat & præponderet semper aliqua pars, à qua iure ei nomen. Cum à potentiore & digniore fiat denominatio *l. quaritur 10. de stat. hom.* idq; semper quòd obtinet, spectetur *l. 3. & seq. de ll.*

55. Hinc definitur *mixtus status, in quo plures simplices formæ conjunguntur & temperantur.* *Reck. lib. 2. c. 4.* hanc temperaturam & moderationem quantis extol-

lant laudib. politici plurimi, apud eos tum videre est, tum patet è sequentibus similitudinibus. Non enim inconvenienter Resp. familiæ cõparantur & vitæ domesticæ, in quâ paterfam. quatenus toti imperat familiæ, regiam sustinet auctoritatem: quatenus verò cum uxore de re familiari consultat & disponit, eatenus convenit cum statu optimatû: Fratrum verò æqualitas in omni re & cura familiari statum repræsentat popularem, *Arist. 8. Eth. 10. Patrit. de regni instit. lib. 1. Tit. 3. Alth. 6. 39. n. 1.*

56. Sic etiam in fabrica corporu humani obtinet. Cor enim & reliqua membra humanas absolvunt operationes, & cuilibet suum assignatum est officium: ita tamen ut cor principatum, à quo reliqua membra originem ducunt retineat. In anima quoq; idem observari potest, quæ quamvis plurimas habeat facultates & quoq; diversas operationes, omnium tamen aliarum potentiarum facultas rationalis regina dicitur, quæ sedem in capite, ut in excelsa & fortissima arce instar dominæ reliquis commendantis obtinet. Huic proximè assistit sensitiva, quæ rationalis est consiliis & plurimas cum illa eximias efficit virtutes: non tamen ab illa vult cogi, sed liberè bonum sequi: & in his Aristocratia refulget: Tertia & infima facultas quæ vegetativa indigitatur, participat quoque, quasi minuta plebs seu populus ab ista parvæ anime rep. curam maximè habendo & providendo hominum operationibus, ut ita tota hominis actio feliciter perficiatur. *Aut disp. de Iure princip. concl. 11.*

57. Et quemadmodum in Musicu, quòd plures chordæ percutiuntur, eò suavior concentus efficitur, quia varius ille multarum fidium numerus, in quo summa discordia est, arte conciliatus & ad concordiam perductus, incredibili quadam iucunditate aures animumq; permulcet; sed hæc tamen iucunditas ideo brevis est, quia de multis fidibus aliqua statim remittitur & discrepat: sic multorum ordinum administratio videtur illa quidem omnium esse optima, quia quo longius ab unius imperio disceditur, eò propius ad libertatem accedit: sed quia multis idem sentire difficile est, facile dissolvitur, quid autem ex dissolutione existat, multarum civitatum miserrimus exitus declarat. *P. Manut. de 4. Rebusp.*

58. Cognita Rerump. natura ad earum comparationem procedimus, monentes: multa inveniri absolute præstantiora, quæ tamen omnibus haud congruere videntur; & aliud ἀπλῶς, aliud τινὶ ἀγαθόν: sunt venena interdum remedia & alexipharmaca nonnunq. venena. *Besold. p. 321.*

59. Hinc *Monarchiam optimam esse judicamus*, si absolutè spectetur τὸ βέλτιον. e. quòd ex rei natura præstantius, non autem si consideratur τὸ ἀριστερόν. e. quòd respectu vitæ humanæ utilius. Kecker. lib. 1. c. 1. nam si non simpliciter, per se, ac in thesi formas animo lustramus Rerump. sed easdem rerum suppetentium ponderamus ratione, nullam tunc Reip. speciem absolutè præferendam esse alteri: sed una, quemadmodum, Medicina, omnibus singulisq; non prodest corporum constitutionibus & complexionibus; sic populorum ut diversi sunt mores, ingenia, habitus; alij ita genti, vel unigenti, diverso tempore, aliam congruere reperiemus Reip. formationem *Dana. lib. 1. pol. Zechius 1. pol. 4. n. 5.*

60. Ergò secundo loco *Aristocratia* conspicitur vel *mixtura Monarchia cum Aristocratia*, quæ his potissimum nationibus competit à dominatu quorum se est eximere, & bellū cum aliis gerere, exemplo *Batavorum*.

61. *Tertio ex Aristocratia & Democratia*, quæ accommodatissima est civitatib. in quibus florent mercaturæ & opifices, qui gaudere cupiunt suis libertatibus & Principum diffidunt ministris atque aulis. Kecker. 2. c. 5. fol. 577.

62. *Quartum & ultimum locum occupat Democratia*, tanq. ex probatis formis minima, nam difficile admodum, ut qui sunt æquali pœnitentia diuturnam colant amicitiam, nisi maiori alicuius auctoritate cohibeantur. *Comin. l. 2. p. 356.* Nullamq; novimus popularem Remp. magnos habuisse progressus, *Atheniensibus* exceptis, qui & præcipua quadam prudentia cæteris *Græcis* præstiterunt, & suas religiosissimè omnium leges observarunt. *Pausan. Hic nota qua scribit Syracid. c. 27. circa finem.*

63. Cum autem ea cuiq; populo vel genti optima ac præcipuè deligenda forma Reip. quæ maximè illius gentis aut populi moribus, ingenio, loco, comerciiis cæterisq; circumstantiis convenit, aut consentire potest. *Dana. 1. pol. c. 6. p. 52.* Iure concludo omnem Remp. esse bonam, imò optimam, quòd magis gentis applicetur naturæ: DEUS faxit, ut omnis Politia gubernatio talem alat temperaturam, qualem gentis exoptulet conditio, ut ita parentium cum imperantibus uniformis sit conditio, & suavis concordia harmonia: voveo itaq; & ex animi sensu voveo.

redeat concordia, virtus  
Cumq; fide pietas altà cervice vagetur.

Sic opto.

*Vivant Imperij proceres rursusq; receptis  
Nectat amicitis, quicquid discordia solvit.*



I.

DOMINO RESPONDENTI GRATULANTUR AMICI.

*S*Vnt qui compilant *Crispini* *scrinia* *Lippi*,  
*Fructum* *quæ vitæ nescia ferre, schola!*  
*Tu verò amborum conjungis commoda doctè:*  
*Ast ibis inficias? perlege, & invenies*

*Georgius Gumpeltzhaimer*  
*Lintz. Austr.*

II.

*Optima cunctarum quæ sit Respublica, paucis*  
*Lemmatibus, Blasichare, docere cupis:*  
*Quod tibi facturo linguam Iehova gubernet,*  
*Constanter positas ut tue are theses.*

*Valentinus Franck* *Transylvanus.*

C 3

III.

*Dum vario nostri in Patria turbantur amici  
 Marte, eheu magnū percipiuntq; malum.  
 Hic quoq; te contra, Blasi doctissime, pugnant  
 Pierides, tantū doctiloquo ore tamen:  
 Inde nihil damni sentis, nec laderis ictu  
 Telorum; Palmā ast non sine laude refers.  
 Osi ita Pannonij certarent, clara vicissim  
 (Quod precor) in proprio flore Vienna foret.*

Amicæ congratulationis  
 ergo adjecit

M. Matthias Duchon Mo-  
 schovino-Pannonius.

IV.

*Iam benè sunt multi, qui se in discrimina vitæ.  
 Ponunt, dum cupiunt Martiacastra sequi.  
 Quam facit is melius, sequitur qui docta  
 Minerva  
 Castra, omninò nihil imminet inde mali.  
 Rectè igitur Schreibere petis nūc Palladis arcē,  
 Atq; in Parnassi vertice prosper agis.  
 Dum Berneggero Phæbo moderāte, Camænas  
 Alloqueris? Clariâ dum labra tingis aquâ.  
 Eja*

23.  
*Eja etiam profint, quæ pocula Apollo propinat,  
 Pocula vel Bacchi nobiliora mero.*

Amicitia ergò scripsit  
 Joannes Steinberger.

F I N I S.



Printed and sold by  
Johann Steinhilber  
in the City of Bamberg  
at the Sign of the Golden Lion

F I N I S

